

anno M. CCCC. XXXIII. celebratum fuit. Paros marmororum præstantia illustris, poetarum carminibus insignis, quæ candore adeo præstant, ut e longinquo nivis specie obtutum fallant: Marpesus mons reliquis sublimior cum aquarum scatuligine, tum marmoris excellentia clarus: ad septentrionem Paron oppidum cum ejusdem nominis portu habet, ibi fontem esse ferunt, quo album linum, vel corium immisum, nigredinem contrahat: quinquaginta milliarum ambitu constat: Venetiae familiæ tunc parebat, quæ cum ad Bernardum Sagredum successionis jure spectaret, ut illam adversus hostes tueretur, eo se contulerat, quorum impetum cum fortiter per aliquot dies sustinuisse, tormentario pulvere deficiente, oppidanis deditio facere coacti fuere: incolumes ab hostibus relieti, complures capti, inter quos ipse quoque Sagredus, qui postea Epidauriensis cujusdam opera, qui ad transtra, dum olim trierarchus esset, remigio diu vitam traduxerat, libertatem est adeptus. Naxos, cui inter Cycladas principatus tribuitur, viuum copia olim Baccho dicata, Dionysia, & ubertate frugum parvæ Siciliæ nomen sortita, Joanni Crispo parebat. Chariadenus cum ad insulam appulisset, nuntium statim ad Joannem misit, qui diceret, ni deditio faceret, hostilia omnia expectaret: oppidanis, atque incolæ perterrefacti, cum impetum hostium perhorrescerent, potiusque in barbarorum misericordia, quam in armis spem reponerent; Crispus, annua quinque aureorum millium pensione pacta, statimque in sequentem annum soluta, in veteri ditione insulam retinuit; licet a libidine, ac furore militum cuncta diripientium, & vastantium se accolæ eximere non potuerint, præda supra vigintiquinque aureorum millia abacta. Tenenses natura loci, ac munitionibus, opera, atque impensa haud exigua structis, cum obsistere hostibus potuissent, aliorum exemplum, fortunamque sequuti, oppidi, atque insulæ tutandæ spe abjecta, ultro in Chariadeni potestatem concessere: paulo post factum pertæsi, ac rubore perfusi, quod, vi non expectata, turpiter defecissent, ad Cretæ magistratus misere, qui militum præsidium, & præfectos Venetos exposcerent. Neque Cytherea prima Aegei maris insula, quæ a Cytherea nomen sumpsit, Turcarum excursiones, ac direptiones evasit. Tot, tantisque cladibus

Bernardus  
Sagredus &  
Chariadeno  
captus.

Joannes  
Crispus, pœ-  
fione cum  
Turcis pa-  
eta, Naxo  
retinet.

Tonus rur-  
sus Veneto-  
rum impe-  
rium ample-  
titur.